



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 872/18/1

BEATISSIME PATER,

Aloisius Pessina, Vicarius Foraneus ac Rector designatus Luganensis ecclesiae, sub tit. S. Caroli Borromaei, una cum Ioanne Francisco Guidone Baumann, Priore Confraternitatis, sub eodem titulo, plenariam implorat Indulgentiam pro christifidelibus qui vere paenitentes atque caritate compulsi, sese sacramentali Confessione purificantes, et Ss.ma Eucharistia reficientes, preces demum ad mentem Summi Pontificis pie fundentes, praedictum templum pie invisent diebus, in quibus peculiaria devotionis exercitia cum magno populi concursu peragentur ad quadringentesimum celebrandum anniversarium, ex quo ipsa venerabilis Confraternitas canonice erecta est. Dono autem Indulgentiae christifideles ad supernaturales fines propensius profecto disponentur et suae religiosae observantiae officiis perfectius vacabunt, necnon hierarchicae communionis cum Sanctitate Tua nexum solidabunt. Et Deus, etc.


Die XXVI Iunii MMXVII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Ss.mi Patris Francisci, plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) sodalibus Luganensis Confraternitatis, sub tit. S. Caroli Borromaei, aliisque christifidelibus vere paenitentibus in praedicto templo lucrandam si anniversariis celebrationibus vel spiritalibus inceptis interfuerint et ibi saltem per congruum temporis spatium pro fidelitate ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, humiles Deo effuderint preces, concludendas Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus B. Mariae Virginis ac S. Caroli Borromaei.

Sodales iubilaris Consociationis atque alii Luganense fideles infirmi, senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, plenariam consequi valebunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si anniversariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus ac doloribus misericordii Deo oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Rector prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeat et S. Communionem sodalibus infirmis ministrent.

Praesenti pro hac vice valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKISI
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 873/18/1


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino FRANCISCO Divina Providentia Papa tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino Valerio Lazzeri, Episcopo Luganensi, vel de eius consensu alii Praelato episcopali dignitate insignito, benigne concedit ut, in quadringentesimo anniversario, ex quo canonice erecta est Confraternitas Sancti Caroli Borromaei, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium in ipso templo Sancti Caroli Borromaei, impertiat Confraternitatis sodalibus omnibusque piis fidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem sacris interfuerint, **PAPALEM BENEDICTIONEM** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus lucranda (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis).

Christifideles qui **PAPALEM BENEDICTIONEM** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXVI mensis Iunii, anno Dominicae Incarnationis MMXVIII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIETEL
Regens